



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata Heinrychi Bullingeri lib. IIII

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Quàm necessarium iusirandu[m] ad respublicas conseruandas

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

cramento est, aut ignoratis, aut per malitiam tacetis: solum enim dicitis quo iureiurando utamur, sed quid sit, aut quomodo fiat tacetis, nam si id candide traderetis, non tantopere à iureiurando abhorrerent homines. Verum hoc nō faceret ad consilium uestrum, quo & magistratum ipsum, & eum neruum quo consistit, dissoluere pergitis. Tolle iusiurandū, iam omnem ordinē in rebus publicis soluisi. Vocabit consul senatorem, non parebit. Dices lictori præcipiat ut eum uinciat. Quomodo parebit lictor? Videt consul catabaptistam in hoc esse, ut plebem ad perduellionem trahat, curare uolet ne quid mali respublica patiat, interdicit ne in oculo pseudapostolus doceat, palam enim doctorem reuicerunt qui ab euangelio syncerius intellecto stant. Hic iterum uetat, quo minus doceat siue publice, siue priuatim: catabaptistam omne imperium contemnentem præhendi iubet. Non paret lictor, quis præhendet? Consul ipse? At catabaptista robustior est. Vides ut omnis ordo nobis perit, cum iusiurandum e-reptum est. Quod si diuinæ literæ hoc uellent, nihil morarer, is enim cuius prouidentia cuncta gubernantur domui Israël nunquam defuturus est, sed non uult hanc confusionem. Da enim iuxta catabaptistarū consilium, in aliqua ciuitate iusiurandum ac deinde magistratum tolli, & de eorum sententia geri omnia, Dis boni quæ confusio, rerumq; omnium mixtio? Nemo

Quā neces-
 sarium iusius
 randum ad
 respublicas
 cōseruādas.

Quid sit iurandum.

enim aequè destitutus est omni consilio, si quid incidere rit, quàm hoc hominum genus, clamoribus mederi rebus omnibus uolunt, ei medico, aut potius simulacro medici, qui unico pharmaco morbis omnibus occurreret, simillimi. Sed ad rem accedamus. Iusiurandum est dei contestatio ad aliquid decidendum aut præstandum. Hæc definitio non est nostra, sed eius per quem iuramus. Exodi enim 22. sic præcipit: Si quis dederit proximo suo asinū aut bouem, aut pecudē, aut quamuis beluam ad custodiendum, & ea moritur, aut perditur, aut à prædonibus (nemine uidente) rapitur, iam iusiurandum domini erit inter ambos istos, quod is ad quem deposita est belua, non miserit manum suam in rem proximi sui: et iusiurandum istud accipiet dominus beluæ, neq; is ad quem deposita erat quidquam restituet. Hic uides iusiurandum dei esse contestationem. Dicit enim: Iusiurandū domini aut dei, est enim יהוה Iehoua. Hæc autem contestatio nihil aliud est, quàm sui ipsius ad ultima supplicia diuinæ uindictæ, si fallat, deuotio. Quum enim aduocat testem, cuius solius se cultorem confitetur, quiq; falli minime possit, etiam si homo possit, per eius, cuius et cultor sit unice, quiq; solus nouit corda nostra, amissionē, testatur sese non fallere neq; falsurum esse. Hæc ergo authoritas, ad decisoriam partem iurisiurandi attinet.

Habemus & in Genesi 21. uerba Abimelech ad Abraham